minus declaratur, alioquin potuit fuisse 133. Nam (per 1. cap. 3. & quintam hujus) incertum est nisi ejus expressè detur species. Deinde angulus M.Z.S. 67. 38'. 1''. quo ad M.Z.P. 52. 46'. 38''. addito, fit optatus angulus P.Z.S. 120. 24'. 49''. Denique habetur S.M. 42. 33'. 31''. Quo ad P.M. 26. 26'. 29'' addito, fit optata basis P.S. 69. Easdem etiam partes ex duobus quadrantalibus P.H.Z. & S.H.Z. secundi schematis, quàm facillimè acquirere poteris.

Admonitio.

PRæcedentis quinti & hujus sexti exemplorũ imitatione, octodecim variæ solvuntur hujus, & cujusque trianguli quæstiones. Ex datis enim (ut in quinto exemplo) angulo positionis solis, hora diei, & altitudine solis, habetur primò elevatio poli, secundò plaga solis, tertiò declinatio solis. Item datis (ut in hoc sexto exemplo) hora diei, angulo positionis solis, & elevatione poli, habetur quartò altitudo solis, quintò plaga solis, sextò declinatio solis. Item datis hora diei, plaga solis, & altitudine solis, habetur septimò declinatio solis, octavò angulus positionis solis, nonò elevatio poli. Itẽ datis hora diei, plaga solis, & declinatione solis, habetur decimò altitudo solis, undecimò angulus positionis solis, duodecimò elevatio poli. Item datis plaga solis, angulo positionis solis, & declinatione solis, habetur decimotertiò elevatio poli, decimoquartò hora diei, decimoquintò altitudo solis. Item datis plaga solis, angulo positionis solis, & elevatione poli, habetur decimosextò declinatio solis, decimoseptimò hora diei, decimo-octavò altitudo solis. Atque ita hujus solius canonis methodo, quinquaginta quatuor variæ solvuntur quæstiones ejusdem trianguli non quadrantalis. Cæteræ inferius solventur.

9. *Ex his itaque patet quod duorum angulorum & suorum subtendentium laterum tribus datis, quarti saltem Logarithmus innotescet*

cet, tacita etiam quadrantalium descriptione. Ab aggregato enim ex Logarithmis anguli & lateris sibi adjacentis datorum, aufer Logarithmum tertii dati, & proveniet inde Logarithmus quarti quæsiti, ipsumque quartum, nisi sit incerta species, innotescet.

Vt ex superioribus tertio, quarto, quinto, & sexto exemplis percipi potest. Angulorum enim basis Z.P.S. & Z.S.P. & suorum subtendentium crurum Z.S. & Z.P. dentur tria, quę (verbi gratia) sint crura Z.S. 47, ejusque Logarithmus 3128580, & Z.P. 34. ejusque Logarithmus 5812606, cum huic adjacente angulo Z.P.S. 42. 26'. 59''. cujus Logarithmum 3921720 adde ad 5812606, fit 9734326 (Logarithmus scilicet taciti & suppressi perpendicularis Z.M. vel anguli Z.H.S. seu Z.I.P.) à quo aufer 3128580 remanet 6605746 Logarithmus quarti Z.S.P. quæsiti. Ipsum itaque quartum Z.S.P. erit 31. 6'. 5''. Quoniam per 2. sect. cap. 3. minus quadrante arguitur. Contrà autem datis Z.P. 34. ejusq. Logarithmo 5812606. & Z.S. 47, ejusque Logarithmo 3128580, cum huic adjacente angulo Z.S.P. 31. 6'. 5''. ad cujus Logarithmum 6605746, adde 3128580, fit aggregatũ (ut supra) 9734326. à quo aufer 5812606, provenient 3921720 Logarithmus quarti quæsiti, scilicet Z.P.S, cujus arcus per 1 sect. cap. 3. incertus est an sit 42. 26'. 59''. an 137. 36'. 1''. nisi declaret hypothesis majórne, an minor sit quadrante.

De non Quadrantalibus puris.

CAP. VI.

HActenus de partibus miscellaneis datis: Sequuntur puræ.

1. *Puræ sunt tres partes ejusdem generis datæ. Suntque aut tria latera data, & quæruntur anguli: aut tres anguli dati, & quæruntur latera.*

Admonitio.

2. PVræ quamvis simplicitate priores, ob difficultatem tamen earundem meritò hic posteriorem sortiuntur locum.